Quid latina etymologia lucretur dialectis germanicis in comparationem vocatis?

DISSERTATIO

QUA AD SOLEMNITATEM

INAUGURANDI

GYMNASII ZWICCAVIENSIS

DIE XII. MENSIS JUNII

HORA IX. MATUTINA

RITE PERAGENDAM

HUMANISSIME ATQUE OBSERVANTISSIME

INVITAT

FRIDER. GODOFR. GUIL. HERTEL,

DOCTOR PHILOS. ET GYMNASII RECTOR.

ZWICCAVIAE,

TYPIS HOEFERI.

MDCCCXXXV.

Quamvis diu sit, ex quo litteris graecis et latinis antea discendis, deinde docendis operam dedi: nunquam tamen, nisi quum ante duos fere annos historiam litterarum teutonicarum enarrandam suscepissem, ad nostrorum majorum volumina, de quibus fando tantum audiveram, inspicienda delatus sum. Ac sane tam late patet veterum linguarum campus, tamque multa quotidie nova in lucem proferuntur, quae, sin minus legenda, tamen inspicienda ac partim excerpenda sunt, ut vix jam tempus ad haec recte peragenda, munere tuo si religiose fungi velis, suffecturum esse videatur. Tum autem necessitas mihi est imposita, vetera illa, quibus injuria temporum pepercit, nostri populi monumenta legendi anquirendique ea, quae ad intelligenda illa et interpretanda necessaria erant. Itaque facere non potui, quin *Grimmii* grammaticam, opus illud auro cedroque dignum, inspicerem, ac si qua alia exstarent, quae ad eam rem facerent, perscrutarer. Ac praeterquam quod ad haec studia horis tantum subsecivis incumbere poteram, pauca tantum ad manum erant subsidia ac qualia pro penuria librorum, quibus minora oppida non abundant, esse solent. Attamen, quod nullam linguam discimus, quin reliquis, quas tenemus, aliquam lucem affundat: ex hoc quoque linguae vernaculae studio aliquantum lucratus sum ad plura veterum linguarum, quae vel ad etymologiam, vel ad grammaticam, vel ad lexicographiam spectant, melius intelligenda et perspicienda; multis adeo nova plane lux oborta est atque inexspectata. Ad haec igitur ubique attentus fui, haec selegi, haec in commentarios retuli, ut aliquando iis uterer; quod mihi accidisset, id aliis quoque graece latineque doctissimis eventurum esse ratus, ut haec, ipsis antea ignota, tanquam nova aequi bonique consulerent. Illud enim dudum inter omnes constat, graecam, latinam et ver-

naculam linguam ad eundem fontem redire et communi quodam vinculo inter se sociatas teneri atque conjunctas; ac nemo potest nonnulla Grimmianae grammaticae legere capita et cum dialecto gothica aliquam contrahere familiaritatem, quin invitus quasi ac nescius in hanc sententiam delabatur, in qua, quo plura cognovit, magis magisque confirmabitur. Hoc autem modo maxime ad etymologiam atque ad utriusque linguae voces inter se comparandas aliasque aliis explicandas adigimur, ut jam a pluribus, qui nostris temporibus in rebus etymologicis versati sunt, factum videmus. Atque horum quidem primus sine dubio est *Schwenckius,* qui sagacitate atque ingenii acumine insignis, in hoc litterarum genere plura insigni cum laude elaboravit. Nam *Döderlinus* quidem, vir doctrinae copia atque subtilitate judicii perquam insignis, eatenus tantum etymologiam attingit, quatenus ipsi opus est ad synonyma rectius constituenda et diligentius distinguenda; quamquam dolendum est, virum de latinis litteris hoc nomine meritissimum minus curasse ne dicam sprevisse nostrae linguae etymologiam. Quod si facere noluisset, melius sibi cavisset ab erroribus in quos interdum incidit turpissimos, quum nostram linguam in auxilium vocat ejusque vocabula cum latinis comparat, in qua re plerumque duci se passus est soni cujusdam vel litterarum similitudine (e. g. *mulier* et *mollis* cum nostris *Weib* et *weich*) quae nulla est, ubi vocalium et consonantium commutandarum leges, in gothica dialecto admodum certas ac definitas, cognoveris, easque, ut oportet, respicere volueris. Omninoque haec est hujus viri sententia, graeca sufficere ad latina explicanda commodeque nos supersedere posse in etymologica doctrina ut reliquis linguis ita teutonica. Uterque autem vir doctus, *Schwenckius* et *Döderlinus,* praecipue latinam linguam sibi sumserunt explicandam, nostra et graeca hic illic in auxilium vocatis. Contra *Schmitthennerus,* pluribus operibus, quibus nostrae linguae et historiae capita obscuriora dilucidantur, egregie notus et laudatus, in libello: *Deutsche Etymologie,* Darmstadt 1833. proficiscitur a nostrae linguae vocabulis ac radices vocum germanicarum simplicissimas indagans, saepius etiam addit, quae illis voces latinae respondere videantur. In his autem quaerendis et enucleandis non temere versatur, ut multis olim accidit etymologis, qui fortuitam aliquam litterarum similitudinem sequebantur; neque enim vim vocabulorum, haud raro fallacem, unice spectat; nec ducitur sensu aliquo, cujus saepe nulla reddi potest ratio: sed firmo ubique insistit solo et ubique in

via, quam in priore libelli parte diligenter munivit, circumspecte et caute incedit, eoque modo illud multorum devitavit vitium, ne vel in paludes doloso gramine obductas immergatur, vel sublimis abeat in eas regiones, ubi nonnisi hallucinationi et hariolationi locus est; imo, quae profert, in quasdam doctrinae regulas, quas sequitur, inclusit. Nihilominus vix credibile est, quam lubrica sit omnis haec hujus rei ratio; iique tantum, qui ipsi harum rerum pericula fecerunt, quam facile labatur aliquis, quam cito cadat, experientia edocti sciunt. Ab altera vero parte hoc linguarum inter se comparandarum studium ita tenet ac delinit animum quaerentis atque ad ipsa linguarum incunabula accedentis, ut ignoscendum sit, si quis interdum a recta via aberret eaque ponat, quae alii, sobrie et circumspecte judicanti, minime probentur, eaque videat et reperiat, quae alius, cui densissima illa antiquitatis nebula oculorum aciem minus obtudit, videre nequeat. Sic in illo quoque *Schmitthenneri* libello bonae frugis plenissimo alia probes, alia improbes; alia arripias, alia respuas; alia tibi arrideant, alia vix credibilia videantur. Verum ut aliis judicium sit integrum, possintque ipsi videre, quid in vocibus latinis ad earum originem revocandis nostra lingua lucremur, proposui mihi secundum litterarum ordinem singula vocabula latina cum gothico-germanicis comparare, et quatenus vel eadem sint, vel certe altera ex alteris, quod ad vim et potestatem primitivam attineat, lucem accipiant, disquirere, oblataque hac scribendi occasione eorum arbitrio proponere, quibus germanica tractare nondum vacavit. Hoc tantum superest ut moneam, si cui nonnulla vocabula, ex radice aliqua derivata, alieniora videantur ab ea radice vel ob vocalium et diphthongorum vel ob consonantium permutationes: ea tamen sic ubique esse comparata, ut per leges nostrae linguae liceat ea ad illud, quod positum est, etymon referre. Quod ut certe, quod attinet ad consonantes, possit intelligi, adjiciam eam tabulam, quam exhibuit *Ziemannus* in libello: *Gothisch-hochdeutsche Wortlehre* p. 24., in qua omnium mutarum inter se conversiones commutationesque uno obtutu conspici possunt. Satius enim videtur in hac scriptiuncula, ubi non id ago, ut hanc doctrinam doceam, prorsus omittere ea, quae ad vocalium permutationem spectant, quippe quae per se difficiliora, nonnisi exemplorum copia recte percipi possint; quae si quis discere cupiat, adeat *Schmitthennerum* p. 59. et *Ziemannum* p. 5.

Illa autem tabula a Ziemanno sic descripta est:

Griech.	k (*lat.* c)	g	ch (*lat.* h)	t	d	th	p	b	ph
Goth.	(h, g)	k	g	th	t	d	f	p	b
Hd.	(h,) g	ch [k]	k [g]	d	z ʒ	t	[b] v [f]	f [pf]	p [b]

Oder in anderer Reihung:

Griech.	*Goth.*	*Hd.*	*Griech.*	*Goth.*	*Hd.*	*Griech.*	*Goth.*	*Hd.*
k (*lat.* c)	(h, g)	(h,) g	t	th	d	p	f	[b] v [f]
g	k	ch [k]	d	t	z ʒ	b	p	f [pf]
ch (*lat.* h)	g	k [g]	th	d	t	ph	b	p [b]

Beispiele:

Griech.	*Lat.*	*Goth.*	*Ahd.*	*Mhd.*
καρδία	cor	haìrtô	hërzâ	hërze
ὄκος	oculus	áugô	óugâ	óuge
ἑκυρός	socer	svaìhra	suëhur	swëher
γένος	genus	kuni	chunni	künne
ἀγρός	ager	akrs	achar	acker
χόρτος	hortus	gards	karto	garte
ἔχειν	—	áigan	éikan	—
τρεῖς	tres	threís	drî	drî
ὀδοντ-	dent-	tunthus	zand	(zan)
δαμᾶν	domare	tamjan	zemen	zemen
ἔδειν	edere	ïtan	ëʒan	ëʒʒen
θύρα	(fores)	daùr	tor	tor
μέθυ	—	—	metu	met'
ποδ-	ped-	fôtus	vúoʒ	vúoʒ
ὑπέρ	super	ufar	(ubar	über)
—	—	—	—	—
κάνναβις	cannabis	—	hanaf	han'f
φέρω	fero	baìra	piru	bir'
ἐλέφας	elephas	ulbandus	olpenta	olbende 'Kameel'

Jam ad ipsa descendo exempla, e quibus possit eadem utriusque linguae origo perspici. Qua comparatione quid lucrata sit latina etymologia, tanto melius perspicietur, si in nonnullis vocabulis (etenim parce hoc est faciendum) antiquiorum etymologorum notationes, qualis in *Gerh. Io. Vossii Etymologico* multae exstant, passim addidero; quae si quis contulerit, non jam poterit negare, quantum hodie in hoc litterarum genere profecerimus.

Ἀ, privativum dictum, eodem modo apud proavos nostros reperitur, ut in graeco sermone, ubi duplex est forma ἀ et ἀν. Sic veteres Germani habent *a-nu* (= ἄνευ) i. e. sine, unde verbum *a-nen* i. e. privare. Hinc in nominibus derivatis, ut *â-maht* (postea *Ohn-macht*) animi deliquium. — Alterius formae *an* in vernaculo sermone nulla adhuc reperi exempla; in graeco sermone utramque formam simul et exstitisse et usurpatam fuisse docet *Buttm. Gr. ampl.* II. p. 356. et in pluribus Lexilogi locis ibi laudatis. In latina autem lingua nulla prorsus hujus ἀ privativi vestigia exstant, nisi praepositio *a* ipsa, quae tamen aliam vim accepit.

ACCIPITER. Fuerunt, qui corruptum existimarent a gr. ὀξύπτερος; alii inde derivarunt, quod aves *male accipiat,* laudato *Gregor. Moral.* 23, 11. (al. 16.): „*accipere* aliquando *auferre* dicimus; unde aves, quae alias accipiunt, *accipitres* vocamus.“ — Imo *capere* est i. q. prehendere, unde accipiter i. q. *der Erfasser, Ergreifer,* ut jam *Isidor. Orig.* 12, 7. recte interpretatur: *ab accipiendo i. e. a capiendo nomen sumsit.* Idque egregie comprobatur nostra lingua, in qua radix *ha,* vel cum aspiratione *cha,* (unde Latinum et *ha* et *ca,*) originem dedit vv.: *hân* — habere; unde *hapan* = capere, *hapuh* accipiter. Apud Graecos dictus est a re dissimillima, ab auguriis ex ejus volatu captis ἱέραξ.

ACERBUS in diall. britannicis eodem fere sono superest: *garw, agarw, vallis. cherw,* quod prope abest a nostro *herb;* sued. *kerf* audit.

AEQUOR ab *aequus* eodem modo dictum est, ut apud nos *Flut* a radice *fla* vel *vla* (idem cum lat. *pla-nus,* quod v.), quo pertinent *vlu-or* (Flur), *vlado* (Fla-den = pla-centa). Pertinent haec vocc. ad ea, quae aequa et plana sunt et magnam visui praebent superficiem.

AESTAS, quod cognatum est cum aestus, ardere, graec. ἄω, αὔω, (*aurum*, de igneo colore dictum) αἴθειν, significat proprie, ut ex his vocc. apparet, i. q. calidum anni tempus. Eadem radix superest in voc. *aes,* aeris et in vern. *Eit* i. e. ignis (e. g. *Eiternessel* pro *Brennnessel*) unde voc. *heiter,* et *heiss, Hitze,* anglice *heet.* Ex alia radice, quanquam eadem de re, nomen habet *Sommer,* ant. *Sumar,* quod referendum est ad *sunja,* goth. *sauil* i. e. sol, quasi dicas: solis tempus; atque ut *aurum* de colore, ita *auster* de effectu dictus est.

AEVUM, αἰών (ἀεί) et goth. voc. *aivs,* unde germ. *êwida* (aeternitas) ad eandem radicem pertinent; *iwa* Immergrün, εἰμί, *i-st* vocalem radic. retinuerunt, quae eadem apparet in vocula *je,* goth. *aiw* i. e. usque. *Ulph. Marc.* 2, 12 : *thatei aiw swa ni gasehwum* i. e. quod usque nos non vidimus, i. e. nunquam, οὐδέποτε. Ex *je* addita negatione factum *nie.*

AJO idem est cum nostro voc. *jehen* et *jahen,* quod usque ad Lutheri tempora satis in usu erat.

ALERE etiam apud proavos nostros exstabat: *ala,* unde goth. *aljan,* deinde *alen* i. e. nutrire, hodie obsoletum voc. Subest his vocc. proprie notio pinguedinis: goth. *aleo,* germ. *ôli* i. e. oleum; deinde id quod alit et nutrit: *ealo,* angl. *ale* cerevisia. Hinc verbum *alesco,* sive pronuntiatione paulo immutata: *olesco,* unde *ad-olescens* i. e. succrescens; eadem enim est vocalis mutatio, quae apparet in *sub-oles* et *proles,* nisi hoc contractum esse mavis ex *pro-ales.* Cf. *Döderl. Syn.* et *Etymol.* I. p. 177. Jam apparet, quam falsa sit veterum etymologia, in *adolere* duplicem significationem statuentium, ut sit et *crescere* et *odorem emittere;* duo enim haec sunt verba, quorum hoc pertinet ad graec. ὄζω, ὄδωδα, et odor (de qua literarum *l* et *d* permutatione v. quos laudat *Döderl.* III. p. 127.;) alterum ad voc. gothicum supra positum et gr. ἄλδω, ἀλδέω, ἀλδήσκω. Plura de his disputavi in Lex. Forcell. sub voc. *adoleo,* quae videsis.

AQUILA, ἀετός, *Aar,* eadem sunt vocabula; radix *a* subest, annexis variis terminationibus, ut in batava lingua *Arend.* Ἄω (ἄημι) spirare, flare non tantum ad aëris, sed etiam ad aquae motum pertinet; utrique enim propria est celeritas motus. Ut igitur goth. *ahawks* columbam significat, sic germ. *aha*

(pronuntia *acha*, lat. *aqua*) aquam, utrumque de celeritate dictum; adeoque idem obtinet in *ahar* = *âr* (unde hodieque *Aar*, rapidissimus Helvetiae fluvius) flumen et *âro* (*ari*, *ar*, *arn*) = aquila; eodemque pertinet *âl* = anguilla. Ex *aha* etiam *Aue*, pratum irriguum, ortum est. Jam intelligitur, quomodo res diversissimae, *aqua* et *aquila* et *aquilo* proprie de eadem re, quae maxime in his vocc. apparebat, dici potuerint; simplicissima enim radix subest. Ortum esse voc. *aquila* ex *agila* (ab ago) indeque etiam per contractionem *ala* non est necesse sumamus cum *Kärchero;* nam *ago* et ipsum est ab hac radice derivandum. Quod autem *Schm. Adler* quoque ex rad. *a* ortum vult, in eo errat V. D.; est enim contractum ex *adalar* i. e. aquila nobilis, ut distingueretur a vulturibus.

Cum his si conferuntur quae olim allata sunt a VV. DD. ad veriloquium utriusque voc. reperiendum, videmus, quantum hodie, nostra lingua antiqua in usum et auxilium vocata, profecerimus. Animi causa nonnullas originationis vocc. *aqua* et *aquila* afferam. *Festus* aquam dici existimat: quasi *a qua* juvamur! *Voss.* cum aliis derivat ab ἀφύη i. e. ἀπὸ τȣ̃ ὕειν; *Varro* ab *aequitate* i. e. planitie; *Ang. Caninius* repetit ab αἰκός i. e. aequus et levis; *Petrus Nunnesius* ab ἰχώρ i. e. ὑγρότης λεπτή; ut maxime probabile praefert *Vossius* illud, ut sit ab ἁ χόα i. e. fusio, articulo cum ipso voc. in unum contracto. Verum enim vero jam *Scaliger* verum perspexit, qui veteribus Graecis aquam dictam esse dicit ἄχα (itaque idem prorsus voc., quod supra vernaculum esse vidimus), unde Ἀχελῶος originem habeat; dumtaxat in eo tantum erravit vir sagacissimus, quod graecam dixerit vocem, quam dicere debebat populis ex India et Persia originem ducentibus communem.

Non minus miras notationes commenti sunt veteres etymologi ad voc. *aquila* explicandum. Alii dictam volunt a subfusco vel subnigro i. e. *aquilo* colore; de quo voc. v. intpp. ad *Plaut. Poen.* 5, 2, 152. et *Varr.* apud *Non.* 10, n. 2. Non autem viderunt voc. *aquilus* descendere ab *aqua* neque similem esse colorem pennarum aquilae colori aquae. Alii dictam volunt ab *acute volando;* alii ab *acumine* i. e. celeritate volandi; alii ab *acuto visu.* Verissimum veriloquium reperisse sibi videtur *Vossius* in ἀγόρ, aquilae nomine apud Cyprios. Quis est, qui talia hodie vel proferat vel credat?

APPELLARE freq. a *pellere* explicatur ex usu majorum, qui eodem modo locuti sunt. Etenim asept. est *etja* i. q. pellere ad aliquid; hinc jubere (*heissen*); denique i. q. appellare. (De his siglis, ut *asept.*, *agerm.*, v. in f.)

ARARE, *aratrum*, *arvum*, *area* etc. His verbis subesse videmus radicem *ar*; nam quae adduntur sunt terminationes. Eadem radix est in nostra lingua: goth. *air-tha*, anglos. *eordha*, germ. *erda* = *arvum*. Ex hac radice porro nascuntur *ardr* = aratrum, *aram* i. e. pauper, (proprie qui agrum colit, prorsus ut Graec. πένης a πένομαι [v. infra],) *arapeit* pr. agricultura, hinc pro quavis molestia = labor. Non igitur *arare* referemus cum nonnullis ad χάρω (unde superest χαράσσω), a quo abjecta aspiratione ortum esse volunt. — *Adelungius* et *Buttmannus* voc. nostrum *Arbeit* derivant a *werben*, *erwerben*: commiscent viri doctissimi radicem et terminationes; illa autem inprimis est spectanda et demonstranda.

ARDEA. Serv. ad *Virg. G.* 1, 364. *ardeam* dictam esse ait quasi *arduam*; ardea enim, quum altius volat, significat tempestatem. Similiter *Isidor. Orig.* XII. 7. Multo haec probabiliora quam *Vossii* sententia, qui per syncopen h. v. ortum esse vult ex ἐρωδιός. In nostra lingua comparant *hehera* (*Häher*), derivatum a goth. *hahan* i. e. pendere in aëre. Cohaerere igitur videtur cum gr. αἴρω, unde μετάρσιος i. e. arduus. Cf. *Döderl. Syn.* II. p. 104.

ARISTA, *arundo*, *arbor*, *Aehre*, *ehren*, multaque alia, quae itidem ad etymon αἴρω referunt, de quibus singulari libello disputavit *Glaser*, *Die Wortwurzel Ar, in ihrer Begriffs- und Lautverzweigung im Hebräischen, Griechischen, Lateinischen und Deutschen. Hildburg.* 1822., ex quo libro, quem ego nunquam vidi, nonnulla laudat *Beierus* in: *Ciceronis oratt. fragmenta*, p. 244. De v. *arundo* cf. etiam *Schwenckium* in *ephemer. schol.* a. 1829. P. II. p. 958., qui refert et radicem *kal* (*κάλειν*, kalere) i. e. hohl seyn, bergen; inde factum esse chalundo, halundo, et litteris et *l* et *r* commutatis *arundo*. Hoc sane artificiosius esse videtur; v. calamus.

ἌΡΙΣΤΟΣ, quod *Schneider.* in lex. refert ad ἄρω, ἀρέω et ἀρέσκω, ἀρετή, componas melius cum nostro *heresto*, *herista*, *herosto*, qui est superlativus ab *Er*, *Her*, *Here*, *Hero* = Herr et gr. ἀρ —, quod quaevis summa significat.

Etiam comparativus legitur: Thes *heheren* sun (Ottfr. IV. 6, 17.) et adv. *in herist* inprimis (*Kero* c. 18.)

AUGEO superest in nostra particula *auch*, quae hac de causa proprie significat additionem.

AVUS et *ano* (der Ahn) *anus*, habent radicem *a*; et in nostro *an* (*Bergan*) et gr. *ἀνά* et *ἄνω* prima significatio superest. Eodem pertinent: *a-dall*, genus; *adall* et *ôdall*, origo; *ôda* = avia; *ad-albol*, praedium avitum; *adill*, auctor.

BALAENA, *φάλαινα* (apud *Lycophr.* 394. *φάλη*) *Wallfisch*, *Wallross* a rad. germ. *bal* i. e. magnus. Radix superest in lat. *valeo*, et germ. *bold* (vel *bald* ut in *Wilibald*) i. e. audax, eodem redit.

BONUS. Hoc adj. sunt qui referant ad *βάω* (unde *βαίνω*), ut sit i. q. recte procedit, *was angeht*. Sic enim nostrum quoque voc. *gut* ortum est, quod majores nostri pronuntiabant *kuot* a *kahan*, *kân* i. e. *ire*. Eodem modo a *βάω* *pasz* (h. *bass*) est i. q. passable. Ab hoc, ut hoc obiter adjungam, est v. *büssen*, agerm. *bazen*, mgerm. *buazen* pr. emendare, quo significatu legitur apud *Ottfried*. III. 2, 20. et in *Lutheri* vers. Bibl. *Nehem*. 4, 7. Eodem prorsus modo ex lat. *emendare* gall. *amende* factum est.

BOS Schmitth. itidem derivat a *βάω* ob similitudinem nostrae linguae. Ut enim multae plantae dictae sint a stando (e. g. *stouda*, Staude), ita multa animalia dicta esse ab eundo. Componit igitur *hrint* bos, *hrinta* cortex, quod ambit arborem; *hrinc* annulus, *hrif* orbis. Vereor tamen, ut haec probentur; multo enim verisimilior est illa etymologia, ut bos (*βοῦς*, dor. *βῶς*) dictus sit a *βοᾷν*, ut nostrum *Bär* a *baren* (unde *baritus*, lat. fari, Barde, parler) i. e. a sono vocis graviore. Hoc enim multo magis in bove insigne erat, quam illud, ut *incederet*.

CACHINNARI, quod voc. imitatur sonum eorum qui clara voce rident; superest apud nos in voc. *schäkern*, mgerm. *schachern*, bat. *schachen*.

CASA, quod in ore plebis Italae usitatius fuisse videtur, quam *domus*, quo scriptores utuntur, idem est voc. cum nostro *Haus*; pertinet enim ad voc. *hëdan* i. e. tegere (angl. *hide* hüten, unde Hütte, ant. *Kâte* et *Kote*, quod

adhuc in nonnullis regionibus in ore rusticorum circumfertur); eodemque pertinent *Haut* = cutis, i. q. tegit, *Hut*, *Hose*, quod idem est in francogallico *chausse*, unde *haut de chausse* (superior pars tegumenti = braccae) et *bas de chausse*, inferior pars, unde hodie *les bas*, *die Strümpfe*, omisso vocabulo primario, retento secundario, quod pr. est i. q. *unten*. Eo pertinet lat. caveo, unde *cautus* et *catus*; nam qui se tegit, sibi cavet, prudens est.

CAPUT referendum est ad radicem *cha*, in qua inerat significatio se *attollendi*, vel ad rad. *hu*, (*chu* lat. *cu*), in qua inest notio vel altitudinis vel tumoris, e. g. *hô* vel *hôh*, altus, *houc* collis, *houf*, *hufo* = cumulus, *huf* et *huffo* (goth. *hups*) i. e. femur. Hinc igitur *houpit* = caput, quod summum est in hominis corpore. — Quodsi in lat. sermone *caput* cohaeret cum *capere*, statuere debemus eandem similitudinem, quae est in gr. lingua inter *αἴρειν* tollere et *αἱρεῖν* capere, prehendere. Prior enim illa, quae eadem in h. v. inerat ab initio, paullatim obsolevit, haec relicta est. *Capere* enim cohaeret cum *carpere* et *rapere*, *ΑΡΠΩ*, *ἁρπάζω*, cujus aspiratio superest in *καρπαλίμως*. Ad radicem *ca* vel *cha*, in qua *prehendendi* significatio est, pertinet etiam

CANIS, quod voc. prorsus conspirat cum nostra lingua; anglos. *hentan*, suec. *häenta*, *haenda*, angl. *hend* est i. q. *prehendere* et etymon *hend-ere* vel cum digammate *fendere* i. e. halten (*defendere* abhalten), ut in *h*ostis et prisce *f*ostis. Unde dicta est *ansa* = manubrium, quo prehendimus vas. *Hand* prehendrix, *Hund* prehensor; hinc angl. et suec. *hànk*, vinculum, vimen; island. *hànk* et *haunk* catena. Quae jam contulit *Beier*. ad Off. II. p. 387. In gr. sermone aspiratio superest in *χανδάνω*, *χάζω*, *χαίνω*.

CALAMUS et *Halm* eadem esse, vix est quod moneam. Refert haec *Schwenck*. ad cello (unde *cella*) et nostrum *hohl*.

CHATTOS comparato v. gall. *chasse* intelligimus significare *venatores*. Superest etiam in vernaculo sermone in vv. *hetzen*, *die Hatze*. Eodem pertinet nostrum v. *Hexe*, ex ant. *Haegesse* i. e. mulier in saltibus vivens; *Hag* enim, fr. *haie*, significat saltum. Veteres autem Germanorum vatidicas mulieres in saltibus oracula edidisse e pluribus Taciti locis constat; cf. *Germ*. 8. et quae ibi contulerunt intpp.

CILIUM a cillo (v. *Serv*. ad *Virg*. *G*. 2, 389.) i. e. moveo, unde compositum Supercilium, ut *palpebra* a palpitare, eadem de re dicta sunt ut nostrum *Wim-*

per, germ. *wintprawa*; etenim *prawa* est ora, et *wint*, quod cohaeret cum *vibrare* et *winken*, a palpebrae motu nomen habet; *Augenbraue* (non-*braune*) est a voc. *brow*, quod etiamnum apud Anglos est i. q. cingere.

CLIVUS, goth. *hlaiws*, germ. *hlêo*, gr. *κλίνω*, lehnen (agerm. *gilinan*, *glinan*) ejusdem sunt radicis; subest communis notio ascensionis lentae. Eodem ex vernaculo sermone referri solent: agerm. *hlêrahha*, *lewerch*, anglos. *lawerc* avis in aërem se attollens, alauda; *hleitar* *κλίμαξ* (*klettern*); *hlaivasna* tumulus mortuorum, *κλιτύς*.

CLUENTES, quae prisca forma est pro *clientes*, pertinet ad *κλῦμι* et clueo (unde inclutus pr. inauditus); eadem radix est in celt. lingua *clywed* et in dialectis septentt. *hlyda* (nostrum *lauschen*) parere, *hludem* sonus. Hinc apud majores nostros *hliut*, pl. *hliuti*, Leute, proprie qui dicto audiunt, plebs, *die Hörigen* *).

CONJUX et ***UXOR, MULIER, FEMINA***, gr. *γυνή*, *ἄκοιτις* et *ἄλοχος* (poët. *ξυνάορος*); in nostra lingua: *wîp* (*Weib*), *chuena* s. *huena* (= *γυνή*), *vrouwa* (*Frau*), *Gattin*, *Gemahlin*. Haec omnia sibi respondent, ut statim videbimus et ad easdem partim radices, partim iisdem de proprietatibus dicta sunt.

Conjux et *uxor* eadem sunt vocabula, illud prorsus formatum ut gr. *ξυνάορος* et Germanorum *wîp* et *Gattin*: descendunt enim a v. jungo, *ἄρω*, unde etiam apud priscos Latinos forma conjunx; *uxor* autem proprie fuit *iuxor*, ut, abjecta vocali, eadem sit radix *iux* addita terminatione *or*. Optime hoc demonstravit *Döderl. Syn.*, comparans *hiulcus* unde *ulcus*. Nemo jam desiderabit veterum etymologias, dictas esse *uxores* ab *ungendis postibus* (cf. *Donat. ad Ter. Hec.* 1, 2, 92. et *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 458.) et quae alia sunt hujus generis. Dicas igitur l. vernacula *die Mitgefügte* et *die Gefügte*, quae eidem jugo juncta

---

*) Ut hic alienum quiddam adjungam: *κλυτός* in gr. sermone semper est celeber, praestans, egregius. Hinc minime probandum, quod *Passov.* *Οδ.* 9, 308. *κλυτὰ μῆλα* interpretatur per *balantes*, quam interpretationem tanquam secundariam *Dammius* quoque posuit in lex. Hom. Haec enim significatio non conciliari potest neque cum usu Graecorum in compositis *κλυτόκαρπος*, *κλυτόπωλος*, neque cum *κλυτοῖς αἰπολίοις* *Soph. Aj.* 375. et *κλυτᾶς χθονός* apud *Eund. Oed. R.* 172., ubi unus cod. *κλυτὰ ἔκγονα* habet.

est. Idem fere significat nostrum *Gatte, Gattin*, agerm. *kato*; illa enim radix *ka* est inseparabilis praepositio *con*, ut intelligitur ex his: *kanerbo* cohaeres, *katilinc* consanguineus, *kasello* socius, qui est in eodem conclavi (Saal) cum aliis, *kaspilo* collusor, *Gevatter* compère. Sic etiam ortum *Gemahl* et *Gemahlin*: *mahal* enim concio, deinde solemnis promissio. Huc etiam pertinet, quod ad significationem, nostrum *wîp*; *wi* enim, quod superest in *vi-ncire, vi-men, wi-da* salix, *wiph* vinculum, *vid* (angl. *with*) cum, *vidja*, agerm. *witta*, lat. *vitta*, est, ut haec vocc. monstrant, *jungere*. Hinc igitur *wîp*, *wif* (angl. *the wife*) goth. *winô* i. e. viro juncta; hinc etiam goth. *wini* alicui junctus i. e. amicus (quare *Schmitth.* componit *amicire* et *amicus*; sed *Varro* recte derivat *amicire* a *jacere*).

Porro sibi respondent *γυνή*, *chuena* et *femina*, quae tria spectant ad parturiendum et propagandum. Eadem enim sunt apud populos septt. *chona* et *kona*, goth. *quinô* (angl. hodieque *queen* regina), et gr. *κύος* fetus, *κύειν* praegnantem esse, lat. *cunnus*, germ. *chunni* i. e. partus et voc. *kunkel*, instrumentum, quo mulieres utuntur. Hinc derivantur *chuninc*, caput generis, rex; *chnuot* natura (quae vox prorsus hodie periit in nostra lingua, quoniam latinum voc., quod ejusdem est radicis a *gnascor*, *gnatura* obtinuit) *kyn* genus.

Vrouwa autem nomen accepit a dignitate; est enim fem. a germ. *vroho* dominus, goth. *frauja*, dominus: fem. *vrouwa*; verb. *gafraujan* et *fraujinon* dominari. Hinc etiam dicta Dea Germanorum *Freya* et *Frygga*, eadem quae Venus Latinorum. Magna apud proavos nostros fuisse auctoritate mulieres, Tacitus diserte narrat; *Veleda* adeo Deae instar colebatur.

Superest *mulier*, quae vox nihil habet quod ei in nostra lingua respondeat. Ac plerique quidem derivant a *mollis*; quibus etiam *Döderl.* accessit. Primum autem haec vocalium permutatio in nullo amplius hujusmodi vocabulo exstat; deinde vero ad hanc opinionem inductus esse videtur ideo maxime, quod etiam apud nos *weich* et *Weib* (cf. infra *mollis*) eandem originem habere videantur. In quo vehementer errasse virum doctissimum, ex iis, quae supra disputata sunt, apparet. Neque vero etiam derives a *μέλειν* i. e. *ἀρέσκειν*, nec a *μέλος* (?) i. e. labor. At minus displicuerit eorum ratio, qui comparant gr. *μύλλειν*, quod ab initio fortasse honeste dictum, paulatim in deterius mutari coeptum est. Certe aliquid in hoc verbo inesse debet, quod ad consuetudinem cum viro spectet; Ci-

cero enim, reprehensus, quod senex duxisset Publiliam virginem, Cras, inquit, *mulier* erit. — Non potuisset hoc sensu dicere vel *uxor* vel *conjux*, quoniam hoc nomen gerebat isto ipso die; neque vero *femina*, ut quae nondum partum ediderat. Unum igitur supererat *mulier*, quae ex virgine fit soluta zona. Quocum facit illud quoque, quod Cicero homines libidinosos et venereos appellat *mulierosos*, e. g. *Tusc.* 4, 11. — Conjux contra, et magis etiam *uxor* semper ad dignitatem feminarum referuntur.

COR, cordis, idem est voc. cum goth. *herza;* redit eodem *harfa.* Utrumque dictum est a *pulsando*, quae notio inest in rad. *har.* Litteram *d* in v. *cor* radicalem esse monstrat etiam angl. *heart.*

CORVUS et *cornix*, *Rabe* et *Krähe*, *graculus* et *κράζω*, *krähen*, *krächzen* etc. redeunt ad rad. germ. *hra*, gr. *κρα*, unde *hra-m* et *hra-ban* corvus; anglos. *hrogra*, et isl. *hrafn;* porro *hruoh* graculus. Inde abstractum *hruof* et *hrôft* rumor, fama; et per translat. *hruom* gloria. In hujusmodi maxime vocabulis intelligitur, quam vera sit radix posita, quae vocem corvi simplicissime imitatur. Accesserunt deinde terminationes, quibus vel substantivum vel verbum efficitur; tum demum alia derivantur.

CRESCERE. Hujus voc. etymon in gothica lingua *kra*, in gr. *χρα* dedit *kra-st* gra-men, *kruoti* et *gruoti* viriditas, *herba; kruoni* viridis. Verba anglos. *grôvan* et diall. septt. *grôa* significant *crescere.*

Huc etiam pertinere videtur *crinis*, quod transposita liquida idem est quod nostrum *har*, ut *hra-ban* et *corvus* eadem esse vocc. modo vidimus. Ejusdem naturae est *currere*, et transposita liquida, agerm. *hru*, unde *hros* (Renner) = equus, angl. *hors;* et *hrudeo* (*Rüde*) canis venaticus; agerm. *horsc* celer.

CRUOR et *crudus* pertinent ad nostrum *roh* = *blutig.* Subest enim radix *cru* s. *hru*, unde *hrao*, *hrôh* rudis, *riudi*, *hruda*, *ruda*, *Räude*, scabies; *hroup* (*hroufa*) spolia cruenta. Aspirationem retinuit lat. *crus* ut nostrum *krauen* etc.

DARE, praes. *do*, in gr. lingua per reduplicationem productum in *δί-ΔΩ-μι* habemus nos in v. *thun.* Cujus verbi qui infinitivus, quae conjugatio fuerit, v. apud *Grimm. d. Gr.* I. p. 563. sq. ed. I. Apud Anglos hodieque obtinet antiqua forma *to do*, quo utuntur tanquam verbo auxiliari, ut nostrates

quoque passim faciunt. Dandi significatio hodie oblitterata est; quanquam in nonnullis regionibus hujus usus vestigia certa exstant, e. g. *thu mir das* i. q. da mihi hoc. Atque in libris saec. XV. legitur (v. *Grimm.*) *die Hant tuon* dare manum. Apud Latinos eadem est ratio in compositis: *addere* hinzuthun, *abdere* wegthun. Substantivum nostrum *That* formatum est ut *dator*, et derivativum *donare* prorsus est nostrum *don* s. *tuon.*

DESTINO a rad. *sti,* in qua inest notio firmitatis, ut liquet ex vv. *steif, Stift, Stein, steil.* *Grimmius* tamen *Stein* refert ad aliud etymon I. p. 552.

DICO, *δείκω,* zeigen, agerm. *teikn* (signo), et *zîhan* goth. *teihan* ad eandem radicem sunt referenda. Eodem procul dubio *dignus,* i. e. monstrandus, pertinet, quod vulgo derivant a *δίκη,* ut *dicnus* is sit, cui tribui aliquid aequum est. Eodem derivativa *indicium* et *prodigium* (*Vorzeichen*) refer.

DORMIRE videtur transpositis liquidis cohaerere cum antiquo *Troum.* Exempla hujus transpositionis v. sub *crescere,* quibus addas licet *strawen* = *sternere,* *plao* = *fulvus,* *prun* = *furvus,* *kraun* = *horrere* etc.

ΔΡΥΣ, germ. *triu,* arbor et gr. *δόρυ* eadem vocc. sunt. Germani ab hac notione firmiter standi derivarunt *triuwi* fidelis, *triuwà* fidelitas, *trouwan* fidere; *Trost* solatium, pr. fiducia in al. re collocata.

DUBIUS, a, um et *durus* a multis propter similitudinem quandam comparantur, in auxilium vocata rad. *zu* in qua inest notio haerendi, haesitandi. *Zuival* igitur, ut volunt, pr. est haesitatio, prorsus ut lat. *dubito.* Eodem referunt *zoupar,* pr. das Festmachen, fascinus; *zoum* frenum. Cum hoc cohaeret in cogitatione *durus* quod firmum est. Eodem fere redit sententia *Döderl.* I. p. 46., qui *durus* derivat ex *diu,* quasi *diurus,* et *dudum* = *diudum;* voc. *i.* in multis hujus generis elisa est. Sed *dubius* mea quidem sententia rectius alii derivant a duo ut sit *duius,* unde, litt. *b* inserta, factum est *dubius.* Eodem modo etiam *Zweifel* redire videtur ad *Zwei.*

ΔΟΥΛΟΣ plerique derivant a *δέω;* sed a *δέολος* nullo modo fit *δοῦλος.* Quare vide, an satius fuerit nostra contulisse: *dulen* (tuli, tolero, *ταλάω* etc.) = ferre; *doupôn* subigere. Alii communem horum omnium radicem fuisse statuunt *dal* i. e. humile; inde *tholân* humilem facere, neutr. humilem esse.

EQUUS superest in runicis nonnullis monumentis forma *ehu* (pronuntia *equu* et cf. *QUI*); apud populos septt. *eikur*, suec. *ök*. Cf. *Grimm.* 1, p. 150. Haec vv. facillime ad eam radicem pertinere videntur, quae in gr. lingua superest in radice *ὀχέω*, (*eho*,) veho. Equus igitur est i. q. ferens, sc. equitem.

FAGUS, *φηγός*, refert *Schwenckius* ad *φαγεῖν*, ut haec arbor dicta sit ab edendo, ut cujus fructus alimento essent. *Schmitth.* derivat a rad. *pa*, ut *puohha* sit i. q. die Feststehende, cui affine est *poum* arbor (a rad. *pu*) das Dastehende, idem cum latino *pomus*. Haec *Schmitth.* sententia parum est probabilis; mihi haec videntur ad verbum *pasci* redire.

FERIRE, gall. *percer*, a lat. v. med. aevi *bersari*, idem est cum nostro *birsen*, *pirschen*.

FLARE apud nostrates est *blähen*, *blasen*, agerm. *plahan*, *plaên*; *pla-st* procella, *pla-sa* vesica; *pla-tra* pustula; *blâ-dem* inflatio.

FLAVUS pertinet ad ea nostrae linguae vocc., in quibus inest notio splendendi, ut apud popp. septt. *blas* caeruleus; *pla-nh* candidus, ut gall. *blanc*, quo verbo nos non tantum album colorem significamus, sed omnino ea, quae fulgent ac splendent.

FLIGERE, agerm. *flekan*, *flagellum*, gall. *fléau*, *plangere*, *plaga*, gall. *plaie*, *πλήσσω* etc. arctissime cohaerent, et redeunt ad radicem *plac*, quae imitatur sonum, quem audimus pulsando; nos dicimus *klatsch*.

FLOS, et transposita liquida *folium*, eodem prorsus modo exstat apud nos; nam goth. *blôma*, agerm. *pluomo* caret tantum aspiratione, quae est in lat. voce. Item in reliquis: agerm. *pluon* et *pluohan* transiit in *bluejen* florere; pluo-t = flos; *blad*, *blodka* et irice *blath* = folium, gr. *φύλλον*.

FRANGO, brechen, bersten, briser. Et hodie et apud veteres derivata tantum (*prehhan*, *prestan*) supersunt; haec ultima descendunt a radice *pra*, a qua prango s. frango.

FRATER et *Bruder* eadem esse vocc. nemo negavit. Derivat *Schmitth.* a rad. *pra*, goth. *bra*, lat. *fra*, in qua inest notio fovendi, calefaciendi; unde *pruohan*, mgerm. *bruejen*; agerm. *pruot* Brut; *pruotan* brüten. Videtur igitur *pruodar* = *frater* pr. dictus esse inde, quod fotus est in eodem matris

utero, quae derivatio parum improbabilis est collato gr. ἀδελφός ex ἅμα et δελφύς, ex eodem utero editus. — Hodie *Brut* tantum de animalium pullis in usu esse constat; unde simul lat. *brutus* lucem accipit: animalia enim κατ᾽ ἐξοχήν dicuntur *bruta.*

FRUI, (bruchen, brauchen) *frumentum* (quasi *fruimentum*) et reliqua hujus stirpis, cohaerent cum nostris *priuwan, prouwan,* aptum reddere (esse) ad vescendum; hinc *prô-t* panis; *pruhhan* uti; *pro-ccho* frustum; *prû-chi* (frugi) utilis = brauchbar. Nonnulli comparant *Quintil.* 1, 4, 15. quo auctore veteres Romani pro *fruges* dixerunt *bruges;* sed h. l. *bruges* intelligendi sunt Phryges; ceterum hoc tamen monstrat h. l., aspirationem vel additam vel omissam, ut jam in superioribus vidimus, nullius momenti esse. Certe *frui* non referri potest vel ad βρύω pullulo, vel ad βρύκω (a βόρω = voro, unde βορύω et βρύω, βορύκω et βρύκω, et alia contracta ut βράσκω) i. e. mordeo; vel ad *ferre,* ut *Varro* vult. Quod *Döderl.* III. p. 135. comparat *freuen, froh,* alienum est; non minus quam quae *Buttmann.* eo refert in *Lexil.*

FUI, fore, gr. φύω affinia esse dudum intellectum est. Radix gr. et lat. *fu* apud Gothos *pu,* in cujus derivatis est significatio standi, habitandi, existendi. Ex lat. sermone huc refer fu-ndus, fu-ndo, fu-ngi; ex nostra lingua *pu-an* habitare, goth. *baujan; pouwan,* colere, aedificare; *puwo* et *pur* qui colit agrum, rusticus; *puruc* habitatio; *pu-sc* virgultum, pr. quod solum obtegit, franc. bois; *podum* (Boden) prorsus ut Latinorum *fu-ndus.* Ex habitandi in aliquo loco notione paullatim latior orta existendi; apud antiquos populos septentrionales est v. *bo* (wohnen); apud Anglos. *to bee* esse; apud Gothos *pim* (bin) sum. Ex hac radice *fui* et *fore* descendunt.

FUROR, furere ejusdem radicis esse videtur cum nostro agerm. *Prut* = Brausen, aestuare et fervere. Unde confirmatur conjectura *Döderl.* II. p. 132. *fervere* et *furere* eadem esse. Contra *Wuth,* ant. *wuot,* pertinet ad radicem *wa,* quae originem dedit vocc. motum significantibus, ut *wallen* et *wehen,* de aqua et vento.

ΓΑΥΛΟΣ et *γαυλός,* cochlear, Jolle.

GENUS, gigno, γέγονα et γίγνομαι. Apud nos radix est *chi,* goth. *ki,* lat. *gi* et *ge.* Exempla haec sunt: *chî-mo* = ge-rmen; *chî-t* seges; *chî-st* se-

men; *chi-nt* = genitus, vel *ci-ld* unde angl. *child.* — Huc pertinere existimat *Döderl.* III. p. 74. *herba*, quod, aspiratione detrita, comparat cum *germen*. Supra autem vidimus, pertinere h. v. ad *crescere*.

GLADIUS apud Iros hodieque in usu est v. *cleddif*, significatione paullulum immutata; est enim falx messoria.

GLOBUS, *glomus* compara cum nostris *chlovo* et *chlopo* (Klumpe), anglos. *cleov*, *cleoven* et *clov* = glomus; *chlo-z* truncus; *chlo-ccha* campana, *klumpa* et *klumpr* clava. Subest his communis radix *chlu*, quae quamvis massam rotundum ac crassam significat.

GLUBERE, *γλύφω*, germ. *chliopan*, *klauben*; ex nostra lingua illuc refer *Chlu-ft* fissura, hiatus terrae; *chlouwa* quod fissum est, i. e. unguis boum; celt. *hlaw* (Klaue) i. e. manus.

GNOSCO et, detrita prima littera, *nosco*, *ἔγνων* et *γιγνώσκω* est nostrum *chnahan*, kennen, unde apud nos *Name* ut apud veteres *ὄνομα* et *nomen* a *γνώσκω*. Apud Gothos transposita liquida exstat *kannjan*, notum reddere, germ. chennan, unde *chund* notus et *chandeo*, qui quid notum reddit, *testis*. — Intransitive idem v. est prodire, conspicuum fieri, hinc *chnuot* (goth. *knôds*) natura = gnatura, ut natus pro gnatus. V. infra.

GRADIRI. Radix *hra* eadem est apud proavos nostros; ex ea orta sunt *hra-sc*, *hra-do* celer, velox, apud popp. septt.: *hrada* festinare, et *hradi* festinatio. Ut in his praevalet significatio celeritatis, ita apud Latinos inest in etymo notio gravis et lenti incessus; quae tamen in compositis, ut *aggredi* non amplius apparet. Eodem pertinere *gruere* (ingruere) et *ruere*, aspiratione detrita, vix est quod moneam.

GYRUS referendum esse videtur ad antiquam radicem, in qua transposita est liquida, *chri* vel *hri*, unde superest *Kringel* in Saxonia inferiori: ein rundes Backwerk, Bretzel. Apud popp. septt. *Kringr* et *kringla* in usu erat, angl. *to crinkle* se curvare, quod idem est cum nostro *Rink* vel *Ring*.

HAERES exstat itidem in linguis Germanicis. *Aripo*, *erpo*, goth. *arbja* pertinet ad illam verborum stirpem, cujus nonnulla supra sub *arare* et *arvum* vidimus. *Ar-ipo* est pr. possessor terrae, patrimonii; goth. enim *arbi* est patrimonium.

HIARE et *HISCERE*, in quibus *hi*, goth. *gi*, germ. *ki* etymon est, apud nos maxime in significationibus metaphoricis reperiuntur: e. g. *kît* (Geiz), quod in mentem revocat Horatianum: *inhiare divitiis; kîtac* et *kitagi* gula; *kîr* (Gier) cupiditas, unde v. *kêrôn* (gehren) cupere; *kîr* vel *gîr* vultur. Admodum graphice his vocc. omnibus cupiditas, ore aperto irruens, adumbratur. Illud autem, quod supra posuimus his subesse monstrant vocc. popp. septt.: *gina* (unde *gima* hiatus) et *kînan* hiare, oscitare.

HOMO est voc. germ. *komo* (*kommam*), qui rem familiarem curat et tuetur. Goth. *kaumjam*, anglos. *gyman*, isl. *geyma* est observare, curare aliquid. Hinc *kewi*, *kouwi*, goth. *gavi* (*Gau*) proprie procuratio; deinde pro pago vel regione, cujus quis curam gerit. Neque igitur *homo* cum *Döderl.* I. 179. derivandus est ab *humo*, neque *Gáu* referendum ad gr. *γῆ*. Verum Dei nomen, germ. *kôt*, goth. *gud*, *god* ad eandem pertinere videtur radicem et significare pr. i. q. tutor, curator. Quod enim nonnulli voluerunt, *Gott* id. esse q. *gut*, (*kuot*, v. supra *bonus*) id ob leges formationis, quas in dialectis germm. habemus certissimas, fieri nequit.

HORA, gr. *ὥρα*, refert *Schmitth.* ad germ. *hôran*, goth. *hausjan* haurire; ut hora pr. sit vas hauriendo aptum. — Videtur hoc alienum esse ab hoc voc. Etenim quis cogitet de clepsydris in origine populorum? Meliora docet *Schneider.* in *lex.* neque errare videntur, qui referunt ad Ὦρος solis nomen; inde *Horae*, anni tempestates; paullatim minora quoque intervalla sic dicta sunt.

HORRERE. Radix *hor* est nostra *gru;* inde krúan (grauen) horrere, anglos. *gryre.* Bene ad hanc radicem refert *Döderl.* II. p. 200. etiam *formido.*

HORTUS, *χόρτος* (*Hort*, *Horte*), *cors* (chors), *cohors*, *Garten*, *Hürde*, *gürter*, *garder*, *crates*, *cour*, *jardin*, *court*, *gorod* eadem sunt vocc., quibus communis radix est in v. goth. *gairdan* = cingere, (*gürten*,) circumdare: a rad. *kart* (unde *gards* domus). — Latissime igitur patet hujus voc. ambitus et est, ut antiquissimum, ita longe lateque disseminatum et paene in omnibus linguis repertum; etenim Hebraei quoque dicunt גָּדַר (coll. גָּדֵר, גְּדֵרָה etc. *murus*, *caula*) *saepe circumdare.* Atque haec significatio propria fuit, superstes in lingua suec. (*Gärd*) et dan. (*Giärde*) saepes, *gaerda* et *giarde* saepire. Etiam in slavica

Wendorum dialecto *gradim* est i. q. saepire et *gard* i. q. graecum *χόρτος*, pali terrae infixi ad aliquid defendendum. Deinde ob similitudinem de locis reperitur, qui domuum parietibus includuntur, unde angl. *yard*, lat. *cors s. chors*, dan. *gaard*. Denique latiori etiam significatione de totis urbibus dictum est, ut quas solebant muris cingere, unde urbium nomina, ut *Carthago*, (jam enim apud Hebraeos et Phoenices hoc v. in usu erat,) ut *Stuttgart*, *Stargard* etc., in Polonia *Grod* (Grodno) et in Russia *Gorod* (Nowgorod), in Bohemia *Hrod* et *Hrad* (e. g. Pragae *Hradschin*, acropolis mura cincta), et multa alia.

HOSTIS i. q. nostrum *Gast*, ant. *kast* a rad. *kan* ire (*kanc* meatus), venire; sic etiam proprie *hostis* (ant. *fostis*) apud Latinos est = advena, peregrinus; v. *Beier.* ad *Cic.* Off. 1, 12, 37. coll. p. 346., quae significatio, etsi apud scriptores raro tantum et nonnisi apud antiquiores, poetas maxime, reperitur, tamen in ore plebis usque ad ultima tempora permansit, unde factum est, ut apud Italos vv. *oste*, *osteria*, apud Gallos *hôte*, *hôtel* primitivam vim etiamnum referant. De contrario *fremd* (fremidi) i. e. qui abiit, *peregrinus*, v. infra.

ΚΡΕΑΣ, goth. *hraivs*, agerm. *hrêo* eadem sunt vocabula.

LACUS, apud popp. septt. hodieque exstat *lagu*. V. *Grimm.* I. p. 150. Eodem pertinet *Lache*, *Lake*.

LASSUS a radica *la*, in qua inest notio jacendi, manendi; hinc ad tarditatem transferri coeptum est. Agerm. *la-szan* postea *lân* omittere; goth. *lats*, agerm. *lasz* tardus, malus; goth. *latjan*, anglos. *latan* cunctari; *la-m* remanens, claudus; *lapa* quies. — *Döderl.* sumit v. LACO et comparat gr. *χαλᾷν* I. p. 105.

